

sigilli duplicem habeat malitiam: 1. contra reverentiam Sacramenti, et haec semper est mortalis, etsi solum veniale reveletur, quia etiam per hoc valde odiosum redderetur Sacramentum, quae gravis irreverentia redundaret in Christum ejus auctorem. 2. Habet malitiam injustitiae contra tacitum pactum inter confessarium et poenitentem.

689. Dixi 3. non licet manifestare quicquam *sine consensu expresso poenitentis*: nam eo sponte dato licet justa de causa uti notitia in confessione accepta: cum enim obligatio sigilli sit in favorem poenitentis, potest is juri suo cedere, et dare facultatem revelandi aliquid in confessione manifestatum; imo in casu necessitatis, quando revelatio criminis necessaria est ad avertendum ingens damnum reipublicae, v. g. seditionis, persecutionis, caedium, aut damnum tertii, obligandus est poenitens, ut per se vel per alium imminens periculum avertat, si adhuc possit, aut Confessario facultatem illud manifestandi concedat, alioquin indignus est absolutione, cum ex defectu debitae charitatis sit indispositus.

690. Praeterea additur sine consensu *expresso*: non enim sufficit consensus praesumptus vel interpretativus, quo forte judicaret Confessarius, facultatem esse concessurum poenitentem, si ea peteretur, quia hoc modo iterum redderetur confessio valde odiosa; merito enim timerent poenitentes, ne aliquo casu ex tali praesumptione peccata sua manifestarentur. Hinc recte infert *Antoine* de poenit. c. 4. q. 1. R. 2. quod peccet Confessarius contra sigillum: 1. si plura peccata, aut pluribus aperiat, quam poenitens expresse voluit; 2. si facultatem aperiendi aliquid injuria aut fraude a poenitente extorqueat, falso ei persuadendo, illum teneri hanc concedere, cum non teneatur; 3. addit *ibid.*, non sufficit, quod teneatur concedere, si reipsa non concedat; alias nihilominus redderetur confessio odiosa; poenitens enim potius discedet sine absolutione, quam ut prodatur delictum.

*Sit probus, et fortis confessor, sitque peritus,  
Discretus, patiens, mitis, pius atque fidelis.*

### §. III. Resolvuntur Casus.

#### SECTIO I. De absolutione poenitentium ex vario statu et conditione.

##### CASUS I. De absolutione.

*Melchior neo-Sacerdos, dum frequentes adsunt poenitentes, nonnisi brevissimam hanc formam adhibet: Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine P. et F. et S. S., sine absolutione a censuris, quam formulam tam alta et intelligibili voce pronuntiat, ut eam adstantes audiant. Saepius etiam, dum poenitens post acceptam absolutionem dubium, quod modo incidit, exponit, absolute iterat super priora peccata formam; si dubium occurrat circa aliquod peccatum, conditionate absolvit, etsi certa peccata simul audiverit.*

691. Q. I. An licite omittatur absolutio a censuris? R. Si Confessarius plane nihil advertat, quod ex confessione censurae cujusdam suspicionem possit movere, licite omittitur absolutio a censuris, tutius tamen et consultius est, totam formulam absolutionis proferre incipiendo ab iis verbis: *Dominus noster Jesus Christus etc.*; quam praxim commendant cum Rituali Romano omnia fere Ritualia particularium Ecclesiarum, cui potius deberent se conformare Confessarii, quam nimis delicatae speculationi suae, vi cujus saepe contenti sunt breviori forma, si frequentiores poenitentes absolvere debeant.

692. Q. II. Quid observandum sit circa absolutionem a censuris? R. 1. Observet Confessarius, an occurrat censura reservata, et an habeat potestatem ab ea absolvendi. 2. Si poenitens afferat censuram reservatam, vel ipse Confessarius prius petat facultatem absolvendi, vel poenitentem remittat ad legitimum superiorem sine absolutione etiam a peccatis. Si habeat facultatem absolvendi, prius eum absolvat a censura, dein a peccatis, alias peccat mortaliter; eo quod in re gravi violet praeceptum Ecclesiae, quia qui est irretitus censura excommunicationis, illicite suscipit quodcumque sacramentum, adeoque etiam poenitentiae, nisi praemittatur absolutio a censura. Si excommunicatus sit in periculo mortis, licebit brevissime dicere: *Absolvo te a censuris et peccatis tuis in nomine P. et F. et S. S.* Ita Comm. cum *Suar.* d. 10. de cens.

693. R. 3. Si censura sit suspensionis, vel interdicti, consultius quidem etiam praemittitur absolutio ab ea; non tamen Sacerdos peccat mortaliter, si prius absolvat a peccatis, quia censura suspensionis non prohibet usum sacramentorum, interdicti autem nonnisi aliquorum sacramentorum, usum scilicet extremae Unctionis, Ordinis, et Eucharistiae extra articulum mortis, non autem Baptismi, nec Confirmationis, nec Poenitentiae: ergo.

694. Q. III. Quid agendum, si Confessarius inculpabiliter oblitus sit absolutionem ab excommunicatione? R. Addat illam post absolutionem a peccatis, si potestatem habeat, nec opus est repetere absolutionem a peccatis; haec enim valida fuit, si bona fide data fuerit, et recepta a poenitente. *Sporer* t. 3. de Sacram. c. 5. n. 632. et n. seq. pariter affirmat cum *Nav.*, *Suar.*, *Laym.* et aliis contra alios Canonistas et *TT.*, validam esse absolutionem a peccatis, non praemissa absolutione ab excommunicatione, quoties poenitens excommunicationis ignarus vel oblitus bona fide procedit, cum onere tamen postea petendi absolutionem ab excommunicatione, quando ei innotescet. *Ratio* est, quia durissimum videtur, quod poenitens excommunicationis suae inculpate oblitus vel ignarus, ita sit constrictus poena, ut nunquam possit justificari in Sacramento poenitentiae nisi per contritionem perfectam: neque praesumi potest, id intendi a pia matre Ecclesia, cujus potestas est non in destructionem, sed in aedificationem et remedium animarum. Dixi, *si bona fide*; nam si excommunicationem sibi notam celaret, et sic mala fide absolutionem a peccatis quasi extorqueret, tunc ab defectum dispositionis ipsa etiam confessio tanquam invalida repetenda esset.

695. Q. IV. An quilibet Confessarius possit absolvere a censuris? R. A censuris per jus vel sententiam generalem latis, et non reservatis, quilibet potest absolvere, qui potest a mortalibus. *Probat*ur ex c. *nuper* 29. de sentent. excomm., ubi *Innoc. III.* pro ratione ait: *Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Hinc quilibet a peccatis absolvens semper praemittit generalem absolutionem a censuris: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis etc. in quantum possum, et tu indiges.* Si vero censurae speciali sententia latae sint, specialis etiam ab iis absolvendi facultas requiritur.

696. Q. V. Quaenam formula adhibenda sit ad absolvendum a censuris? R. Caeremonias et formam absolutionis in foro externo (de quibus hic non agimus) vide in Ritualibus Dioecesanis; pro foro autem interno non est praescripta certa forma. Ideo agenda *Herbipol.* de Sacram. Poenit. in §. de absol. ab excomm. expresse praescribit: *In foro autem interiori confessorius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta*



formam communem praescriptam in absolutione sacramentali, quam vide n. 672. — *Busemb.* de censuris L. 7. c. 1. dub. 6. hanc refert formulam pro absolvendo excommunicato in foro conscientiae: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis, quam incurristi propter NN.* (hic nominetur culpa, v. g. propter haeresim) *et restituo te Sacramentis Ecclesiae, et communioni fidelium. Deinde ego te etc.* Pro absolutione suspensi: *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, quam incurristi propter NN.* (talem causam) *et restituo te executioni tuorum ordinum, vel officiorum, vel beneficiorum in nomine Patris etc.* Si dispensandum sit super irregularitate ex delicto, Confessarius habens facultatem dispensandi post verba: *Et tu indiges:* dicit: *Et dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi propter NN.* (nominetur causa) *et habilito te ad actus legitimos. Deinde ego te absolvo etc.* Plura, ubi agemus de censuris.

697. Q. VI. An Melchior recte agat ita proferendo formam absolutionis, ut adstantes intelligibiliter audiant; repetendo eam; conditionate absolvendo, etsi praeter unum alterumve dubium adsit certum peccatum? R. Ad primum ut supra n. 27. sub fin. Indecens hoc est, et periculosum, tum quia hic modus sapit scrupulos et Confessarium exponit risui adstantium, tum quia facile poterit contingere, ut indispositum debeat dimittere sine absolutione, quo casu ex consuetudine pronuntiando alta voce simplicem benedictionem loco absolutionis contra sigillum facile prodet indispositionem poenitentis.

698. Ad secundum de repetitione formae responsum est supra n. 31. Porro ad dignoscendum, an et quando repetenda sit absolutio, *Sporer* l. c. a n. 627. tradit sequentes regulas. 1. Repetenda est absolutio in eadem confessione tunc tantum, quando poenitens post primam absolutionem de novo confitetur aliquid, quod ante absolutionem necessario fuisset exponendum, v. g. si confiteatur novum peccatum specie diversum; si circumstantiam, quae mutat speciem: numerum, qui notabiliter excedit prius expressum etc. quia in his casibus materia necessaria absolutionis necdum erat subjecta clavibus. 2. E contrario non est repetenda absolutio, quando poenitens post primam absolutionem adhuc confitetur aliquid, quod prius non erat necessario confitendum. Si mortale dubium adhuc occurrat, iubeatur poenitens iterum in communi se accusare de antea dictis. 3. Si Confessarius rationabiliter dubitet, an absolutionem jam dederit, an omnia verba essentialia protulerit, an cum debita intentione etc., licite potest, imo (si poenitens confessus fuerit mortale) debet repetere absolutionem sub tacita saltem conditione; *Si nondum absolutus es.* Ita *Stoz* l. c. n. 86. cum *Tamb.*, ubi a peccato saltem gravi eos Confessarios excusat, qui ex nimia anxietate et scrupulis iterant formam, timentes ne Deum offendant, vel proximo noceant, vel existimantes ex perplexitate, id esse minus malum, quam non repetere. Denique in iterata absolutione statim facta post primam observandum, ut Confessarius non absolvat elevata manu, et palam formata cruce, sed quasi inadvertenter, ne si adstantes advertant iterum dari absolutionem, poenitentem suspicentur reum iterum fuisse peccati mortalis.

Ad tertium. R. Male agit Melchior conditionate absolvendo, cum exposita fuerint peccata certa praeter unum alterumve dubium. Praeterea observanda hic sunt, quae diximus n. 65. 66. 67. et 68.

#### CASUS II. De absolutione moribundi.

*Mathias neo-Parochus grassante morbo quotidie vocatur ad plures aegrotos: inter alios Petrum reperit voce ac sensibus plane destitutum;*

*quia tamen adstantes testabantur, eum paulo ante desiderasse confiteri, hinc illum absolvit. Altera die vocatur ad Paulum, quem morti proximum, et voce pariter destitutum monet, ut daret signum aliquod doloris, quod cum frustra expectaret, dubius haeret, an debeat illum absolvere. Denique cum nosset, Andream hucusque vitam Christiano dignam duxisse, eum jam moriturum absolvit sub conditione.*

699. Q. I. An possit absolvi moribundus, qui loqui non potest; ideoque nec unicum confiteri peccatum? Respondet *Laym.* L. 5. t. 6. c. 8. n. 4. cum *S. Antonino, Sylv., Henriq., Suar.* et aliis gravissimis AA.: Infirmus in mortis articulo constitutus, qui vel Sacramentum poenitentiae expresse desideravit, vel saltem implicite, dum signa generalia poenitentiae edidit, etsi nullum peccatum in particulari confiteri possit, a Sacerdote absolvendus est, ea tamen manente obligatione, ut cessante impedimento peccata mortalia specificè subjiciantur clavibus, ut patet ex propos. 11. ab *Alex. VII.* damnata. *Prob. responsio* ex Conc. Carthag. III. can. 34. ut refertur dist. 4. de consecr. c. *aegrotantes* 75. et ex C. Araus. I. c. 11. et ex Carthag. IV. can. 76., ex Rit. Rom. de Poenit. §. ult., ubi ita docet: *Quod si inter confitendum, vel, etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegrum deficiat, nutibus cognoscere: quibus utcumque vel in genere, vel specie cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Eadem verba citantur in Rit. Herbip. Concedit *P. Gobat*, quod moribundus, de quo dubitatur, an jam mortuus sit, an vero adhuc vivat, debeat sub conditione (*si adhuc vivas*) absolvi: intellige, si sub ipsa confessione deficiat aegrotus, vel ante dederit signa poenitentiae.

700. Ex his ad casum propositum R. 1. *Mathias* debuit absolvere Petrum, quem per unum aut plures testes novit petiisse confiteri: quia petendo Confessarium externe est confessus, quae confessio externa in tali necessitate sufficit, quando adest physica impotentia aliter confitendi. *Nec obstat* Decretum *Clementis VIII.* cit. n. 674. de confessione Sacerdoti absentis facta; quia non loquitur de confessione ordinata ad absolutionem a Sacerdote praesente habendam: imo testatur *Card. Bellarm.* apud *Lugo* d. 17. a n. 76., et *Suar.* apud *Tann.* hic q. 9. n. 16., non fuisse unquam mentem Pontificis damnare absolutionem talis moribundi, quae feret a Sacerdote praesente. *Stoz* L. 2. q. 3. n. 96. affirmat, in Decreto *Clem.* per confessionem intelligi tantum eam, quae est *ordinaria*, quando nimirum poenitens omnia peccata mortalia potest exprimere, non de *extraordinaria*, qualis habetur in moribundo usu vocis destituto. Idem dicendum, si qui signa poenitentiae viderunt, non amplius essent praesentes infirmo, sed in via Sacerdoti occurrenti indicarent; quia in hoc casu absolvit Sacerdos non tantum propter signa poenitentiae prius data, sed vel ipsam respirationem jam praesens censet esse signum externum poenitentis animi, quem prius per clariora signa prodiderat moribundus.

701. R. Ad secundum. *Mathias* recte distulit absolutionem, quamdiu nullum omnino censebat adesse signum poenitentiae; quia nec valide nec licite potest conferri sacramentum sine aliqua parte sua essentiali, qualis est confessio externa formalis vel virtualis saltem per signa; atqui in posito casu nulla omnino erat confessio externa, cum nullo signo etiam dubio, ut supponimus, animi dolor et voluntas confitendi ostenderetur: ergo. Ex hac ratione ait *Sporer* de absol. sacram. n. 644., communissimam et sibi certissimam esse sententiam sub his terminis, quod moribundus loquela et sensibus destitutus, qui nullo nec certo, nec probabili, nec dubio aliquo signo externo ostendit dolorem ac voluntatem confitendi, nec valide nec licite etiam



sub conditione unquam possit absolvi. Hinc etiam teste *P. Gobat* t. 7. n. 602. Superiores Societatis Jesu inhibere suis, ne imposterum doceant hanc propositionem; *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit, praecessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest.* Vide *P. Burgh.* cent. 1. cas. 81.

702. Sed (inquies cum *Clericato* de poenit. decis. 32. n. 7. in resolutionibus suis accurato et erudito, nec laxo) praxis est in contrarium, quam graves AA. laudant apud *Diana* p. 9. t. 6. resol. 20. et quam ipsemet secutus est, absolvendo sub conditione moribundum, quem rogaverat, ut pro signo manum suam stringeret, at ille oculos tantum in ipsum intendebat, et eos demittebat. R. Fateor plures graves AA. faciles esse in danda absolutione tali moribundo saltem sub conditione, sed nego suppositum, quod facilem admittant casum, in quo nec sciant, nec prudenter putare possint, praecessisse, vel actu adesse sensibilem aliquam confessionem. Fundatur enim haec praxis primo in eo, quod in tali extrema necessitate administrandum sit etiam sacramentum poenitentiae, quando prudenter praesumi potest de dispositione poenitentis: atqui de quocumque homine Christiano (ut ibid. ait laudatus *Clericatus*) prudenter praesumi potest, quod in tali periculo constitutus, si vel per modicum tempus sui compos extiterit, non solum actu interno confessionem desideret, vel desideraverit, sed quovis externo et sensibili actu tanquam signo illud desiderium exprimat; cum autem saepe certum signum exprimere non valeat, hinc quodvis signum vel actus alias indifferens, v. g. suspiria, gemitus, fixus oculorum intuitus, et quivis corporis motus (ut ait *Stoz* l. c. n. 97.) in talibus circumstantiis pro prudenter dubio signo poenitentiae praesumi potest. Secundo, hanc praxim cum *Tamburino* in methodo expeditae confess. L. 2. c. 10. §. 1. n. 11. fundant in eo, quod per conditionem absolutioni conjunctam (*si sis capax absolutionis*) caveatur injuria sacramenti, et ex alia parte consulatur, quantum fieri potest, salutem moribundi, qui est finis sacramentorum institutionis; ideoque haec praxis non potest dici ex toto contraria resolutioni superiori. Ex his

703. Ad tertium R. cum *Sporer* l. c. n. 648. Mathias recte egit absolvendo adhuc sub conditione Paulum, quem noverat hucusque christiane vixisse; quamvis enim vita alias christiane acta per se non sit ipsa de peccatis accusatio, qualis requiritur ad absolutionem, nec aliunde ordinata ad significandam accusationem (alias qui christiane viveret, constanter se accusaret), est tamen sufficiens ratio ad hoc, ut prudenter praesumi possit, moribundum velle sibi, omni quo potest modo, in hoc articulo consulere, ideoque illum non tantum intus de peccatis dolere, sed etiam sua suspiria, respirationes, apertiones oculorum, aliosve corporis motus ordinare ad significandum dolorem de peccatis; etsi enim etiam haec de se potius significant dolores corporis, quam animi, nihilominus in tali moribundo, qui clariora signa dare nequit, merito censentur saltem dubia. *Confirm.* ex eo, quod plures zelosi Confessarii testentur, saepe aegrotos, qui diu sine vitae signo velut mortui decubuerunt, dum redierunt ad se, fassos esse, quod omnia intellexerint, quae pie suggerebantur, imo se existimasse, quod sufficientia signa doloris darent. Lege *Petrum Marchant.* in tribun. Sacram. T. 1. tr. 4. tit. 4. q. 3. dub. 7.

704. *Neque dicas:* Hoc modo liceret etiam sub conditione absolvere illum, qui dum actu peccat, repente incidit in articulum mortis, v. g. lethali-ter vulneratum in duello, aut moribundum in via jacentem, quem nescio, an sit catholicus aut haereticus: an bene an male vixerit. R. N. parit.

Quia aequae prudens praesumendi ratio in his non habetur, quod signa de se ordinata ad significandum dolorem tantum naturalem in animo vindictae pleno tunc ordinentur ad significandum dolorem animi supernaturalem, et voluntatem confitendi. Neque tamen, ut verum fatear, graves AA. desunt, qui etiam hoc concedunt, inter quos *Tambur.* in Methodo expeditae confess. L. 2. c. 10. n. 12. de eo, qui forte actualiter peccando subito destituitur sensibus, postquam fatetur, communiter AA. cum *Coninck* docere, talem non esse absolvendum, eo quod praesumendum non sit, eum esse attritum, nihilominus non veretur subjungere: *Sed ego sub praedicta conditione vix illum regulariter sine absolutione dimitterem; non quia velim absolvere non dispositum, sed quia rarissime evenit, ut tam cito sensibus quis, dum actu peccat, destituatur, ita ut vicinus morti non suae salutem consulere per aliquam attritionem velit.*

705. Q. II. Quando ejusmodi moribundus absolute, et quando conditionate tantum debeat absolvi? R. Quando signa certa doloris, et voluntatis confitendi praebet, debet absolvi absolute; si vero dubia, tantum conditionate. *Sporer* l. c. n. 641. triplicis generis signa distinguit, quae sufficiunt ad absolutionem moribundi. Primo ait: Signa certa sunt, quae ex natura sua ordinantur ad confessionem, v. g. si infirmus expresse dicat, se dolere de peccatis, velle confiteri, idque vel coram Sacerdote, vel adstantibus dicat, et subito destituatur sensibus: hoc ex dictis est sufficiens signum ad absolutionem absolute dandam. Secundo, signa probabilia sunt, quae quidem significant poenitentiam, sed sine clara relatione ad confessionem, v. g. si infirmus pectus tundat etc. et tunc in tali necessitate ejusmodi signa praesumuntur referri ad absolutionem impetrandam, ut ait *Laym.*, adeoque sufficiunt ad absolutionem absolute concedendam, quamvis (ut addit *Sporer* l. c.) longe tutius sit, eam impertiri sub conditione: si sis dispositus. Tertio, alia sunt dubia, de quibus, cum sint de se indifferentia, dubitari potest, an oriuntur ex dolore de peccatis, an ex vehementia morbi, vel dolore naturali, aut ex angustia mortis: v. g. si infirmus rogatus, an doleat, an velit absolvi, solum lacrymetur, suspiret, oculos attollat, manum Sacerdotis stringat etc. et tunc conditionate absolvendus est ob periculum nullitatis Sacramenti. Denique in casibus, ubi Sacerdos et valide et licite potest absolvere, etiam quivis Sacerdos in extremae necessitatis periculo ex charitate, Parochus autem simul ex justitia tenetur absolvere ejusmodi infirmum, uti docet *Comm.* cum *Vasq.*, *Lugo*, et *Sporer* l. c. n. 642.

706. Porro Confessarius moribundi observet sequentia. I. Hucusque locuti sumus de eo, qui voce destitutus confiteri nequit; si enim infirmus aliqua peccata saltem in specie posset exponere, deberet, et imprimis mortale, si quod haberet.

707. II. Confessarius infirmorum paratus sit ad eos suaviter excitandos ad actus fidei, spei, et charitatis, quibus anima intellectu et voluntate Deo jungatur: item ad actus resignationis in voluntatem Dei, patientiae, aliarumque virtutum; praesertim autem advertat, ad quam virtutem sit proclivior animus infirmi, item studeat erigere animum, quia plerumque in eo articulo occurrit defectus spei. Maxime vero insigni opus est prudentia, ne vel importunus sit Sacerdos in suggerendis piis affectibus, aut nimio clamore molestus sit infirmo: nec etiam oportet nimis esse credulum iis, qui recusant mature suscipere morientium Sacramenta. Denique studeat, in suis precibus saepe meminisse infirmorum sibi commissorum.

708. Q. Quid sentiendum de pacto illo, quod infirmi et jam absoluti subinde solent inire cum Confessario, ut in agone adhuc semel absolvantur? R. Aliter intelligi nequit, nisi quod in articulo mortis, si forte loqui



non possint, aut certum signum doloris edere, jam nunc statuunt, quo signo se velle indicare dolorem et accusationem peccatorum, tum quorum se accusarint, tum quorum forte denuo rei fuerint. Vide *Ant. Mayr.* Tr. 12. d. 2. n. 562.

CASUS III. De neganda et differenda absolutione.

*Marcus neo-Sacerdos invitatus ad excipiendas confessiones, ubi ingens est confluxus poenitentium, quoslibet poenitentes facillime absolvit, ratus, non esse praesumendum, quempiam in tali festo et loco votivo venire indispositum; ac propterea hic curam non esse habendam, an cuiquam neganda, vel differenda sit absolutio.*

709. Q. I. Quid sentiendum sit de iudicio Marci? R. Est iudicium sine iudicio. Pessime enim agit, si quis sive in concursu multorum, aut in solemniori festo, aut quocumque alio tempore invalide ex sua incuria aut ignorantia administret Sacramentum. Quinimo iudicio ab experientia satis certo debuisset inniti, scilicet quod vel ideo inter bonos pessimi homines, consuetudinarii, in proxima occasione constituti, diu non absoluti in tali concursu compareant in sacro tribunali, quia putant, Confessarios valde occupatos gravitatem peccatorum tum accuratius non esse examinatos, nec eos fore admodum sollicitos de aperienda consuetudine, nec agnituros proximas peccandi occasiones etc.; hinc fraudulenter sibi faciliorem promittunt absolutionem.

710. Q. II. An et quibus Confessarius teneatur denegare absolutionem? R. Hoc clarissime docemur ex Rituali Rom. ubi ita: *Videat diligenter Sacerdos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt 1. qui nulla dant signa doloris; 2. qui odia et inimicitias deponere; 3. aut aliena, si possunt, restituere; 4. aut proximam peccandi occasionem deserere; 5. aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; 6. aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant; et scandalum tollant etc.* His igitur (infert *P. Antoine* de poenit. c. 3. a. 3. q. 5. in R. 1.) secundum hoc principium certum et doctrinam Patrum, Canonum, et s. Caroli in Instruct. Confess. absolutio denegari debet: quibus adde ignaros rerum fidei, quae sunt necessariae necessitate medii, juxta propos. 64. ab *Innoc. XI.* damnatam, de qua in P. I. a. n. 356. egimus. Item qui nesciunt elicere dolorem supernaturalem de peccatis, cum hic sit de necessitate Sacramenti.

711. Q. III. Quomodo practice procedendum sit cum consuetudinariis et recidivis? Ante R. *Nota.* Discrimen est inter consuetudinarium et recidivum: omnis consuetudinarius recidivus quidem est, sed non vicissim; qui enim semel aut iterum in peccatum antea remissum relapsus est, vere recidivus dicitur, non tamen consuetudinarius: quia talis ille solum appellatur, qui quasi ex habitu per actus frequentatos in certa specie peccati, v. g. blasphemiae, perjurii, imprecationis, luxuriae etc. contracto frequenter relabitur in idem peccatum. Quae autem frequentia relapsuum requiratur, ut aliquis habeatur pro consuetudinario, unica regula definiri nequit, sed attendendum est ad naturam peccati, item ad tempus modumque peccandi. Sic peccata, quae cogitatione vel verbis committuntur, sicuti facilius committi solent, ita ad frequentiam pro consuetudine habendam, majorem exigunt numerum, quam quae fiunt opere. Praeterea ad consuetudinem requiritur relapsus per notabile tempus. Exemplum assignat *P. Holzmann* p. 5. tom. 2. t. 4. de poenit. num. 590.: Qui singulis mensibus solet confiteri, et qualibet vice affert tres vel quatuor pollutiones, dicitur recidivus; ille

vero consuetudinarius, qui quotidie, vel aliquoties per septimanam lapsus est. His praenotatis:

712. R. 1. Poenitenti, qui habet consuetudinem peccandi, nisi specialia det signa doloris, neganda est absolutio. Vide propos. 60. ab *Innoc. XI.* damn., ex qua damnata patet, negandam aut differendam esse absolutionem concurrentibus his tribus circumstantiis, uti advertit *Duarte V. consuetudo* n. 151. scil. 1. si poenitens habeat consuetudinem peccandi; 2. si nulla sit spes emendationis; 3. si tantum verbo tenuis asserat, se dolere et proponere, absque eo, quod det signum sufficiens, ex quo colligatur, quod serio loquatur. *Ratio* est, tum quia Confessarius ut iudex, ut possit absolvere, debet prudenter judicare, poenitentem esse sufficienter dispositum, habereque propositum efficax non peccandi: atqui de consuetudinario, qui solum ore profert, se dolere et proponere, nisi specialia signa serii animi det, non potest ita judicare, cum experientia doceat, priora proposita fuisse inania, et cum serio proposito non posse stare tam frequentes relapsus; ergo. Tum quia Confessarius ut medicus non tantum debet priora vulnera curare, sed etiam alia, quantum potest, impedire, ut docet *Trid.* sess. 14. c. 8.; atqui non impediret, si talem absolveret, cum potius prudenter judicare possit, quod sicut prior facilitas absolutionis fuit ansa relapsus, ita et haec sit futura occasio relapsus: ergo.

713. *Neque dicas* 1. Poenitens habet jus ad absolutionem. 2. Fides adhibenda est poenitenti. 3. Juxta c. *Septies.* Dist. 3. de poenit. ex epist. 46. ad Rusticum: *Non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad poenitentiam, peccata condonantur.* R. ad 1. Consuetudinarius confitens habet jus ad absolutionem subinde accipiendam, quando fuerit rite dispositus C. *Statim* N. R. etiam ad 2. Fides est adhibenda poenitenti, quando protestatio non est contraria factis C. Si sit contraria N. Tunc enim potius factis, quam verbis prudenter credi debet. Denique R. ad 3. S. Hier. loquitur de eo, qui vere poenitens est, adeoque etiam de eo, qui praebet sufficientia signa propositi. Hinc

714. R. 2. Si consuetudinarius det signa specialia aut extraordinaria doloris, potest absolvi, v. g. 1. si sibi vim intulerit contra tentationes, ideoque conatum adhibuerit emendationis. 2. Si occasiones extrinsecas peccandi, circumstantias, et illecebras peccatorum amoverit novum vitae genus amplectendo, vel certam societatem pravam vitando. 3. Si remedia contra relapsum praescripta cum fructu adhibuerit. 4. Si post proximam confessionem rarius, quam antea solebat, lapsus fuerit. 5. Si ab aliquo tempore a peccato abstinerit intuitu confessionis faciendae cum fructu. 6. Si poenitens longum et difficile iter susceperit proprio motu ad confessionem veram instituendam, vel si de industria hunc elegerit Confessarium, a quo sperabat efficaciora media praescribenda, eaque sollicite petat, ac prompte acceptet. Vide *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1821. 7. Addunt alii, si suspiria, gemitus et lacrymas sinceras fundat etc. *Ratio* est, quia datis ejusmodi signis prudenter habetur spes emendationis.

715. Monet tamen *P. Laym.* L. 5. t. 6. c. 14. magnum periculum esse, ne consuetudinarius male dispositus sit, si compulsus a domino vel a praefecto accedat ad confessionem; idem periculum in iis est, qui ultimo die Communionis Paschalis repunt ad confessionale, potius ut accipiant schedam confessionis, quam ut seriam agant poenitentiam.

716. Porro de consuetudinariis *resolves* I. Non nisi ex certis signis veri propositi eos esse absolvendos, qui ex consuetudine committunt peccata publica, v. g. blasphemias etc., quia fideles offenduntur, si videant hominem